



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Primvm. Si accusator in accusatione defecerit, talionem recipiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

DECRETA DAMASI PAPÆ I.

Ex decreto Gratiani & Iuonis, numero quinque, prioribus non inserta.

PRIMUM.

Si accusator in accusatione defecerit, talionem recipiat.

1. q. 3. Calumniator, si in.

Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem recipiat.

SECUNDUM.

De his qui clericum falso nomine impetunt.

Ibidem.
Si quis episcopum.

Si quis episcopum, aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus impetierit vel accusauerit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem censemus.

TERTIUM.

Ecclesiarum oblationes sub laicorum dominio non detineantur.

10. q. 1. Hęc consuetud.

Leuit. 2. 24.

Hanc consuetudinem, quæ contra sanctam ecclesiam catholicam agere videtur, omnino interdicimus, vt nullo modo, vlllo vnquam tempore, oblationes quæ intra sanctam ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur: sed tantummodo sacerdotibus, qui quotidie Domino seruire videntur, illis solis liceat comedere & bibere: quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israel, nisi tantummodo Aaron & filiis eius, qui longe erant ab istis panibus, qui nunc in sancta ecclesia offeruntur, quia illi sub vmbra legis erant. Qui vero modo sub gratia sunt Spiritus sancti, toti mundo euangelio coruscante, lucidiores esse videntur. Qua fronte, aut qua conscientia oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedum pro aliis, Deo preces offerre? Quia prauum est & contra Dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert, qui illud agere conatur, quodei nulla ratione conceditur: quia omnibus sanctis patribus, nostrisque prioribus placuit, hanc sanctionem fieri; & nos similiter in eisdem persistere,